Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ipsa uoluptate relinquit. et sub ea que anxie appetit
laboriosa mundi ministeria relaxat. Unde et apte illic sub
dit. Quia ultra non uocaberis mollis et tenera. tolle molam
et mole farinam. Constat nimirum quod tenere filie sue pa
rentes parcunt. nec duris atque seruilibus hanc operibus affligunt.
Omnipotens ergo deus quasi filiam teneram uocat. quando dilectam unicuique
animam a laboriosis huius mundi seruiciis reuocat. ne dum
exterioribus actibus afficitur ab interius desideriis induretur. et chaldeorum
filia mollis et tenera non uocatur. quia mens prauis desideriis dedi
ta in eo quem anxie appetit. huius seculi labore relinquit. ut
foras mundo uelut ancilla seruiat. que intus deum ut filia ne
quaquam amat. Unde et molam tollere ac farinam molere iubet.
Mola in giro ducitur. et farina profertur. Vna queque autem huius mun
di actio mola est. que dum curas multas congerit. humanas
mentes quasi per girum uertit. atque ex se uelut farinas proicit. quia
seducto corde semper minutissimas cogitationes gignit.
Non nunquam uero qui quietus alicuius esse meriti creditur. positus
in qualibet actione denudatur. Vnde illic protinus subinfertur.
Denuda turpitudinem tuam. discooperi humerum. reuela crura.
transi flumina. In administratione quippe operis turpitudo
denudatur. dum uilis mens abiectaque in actionis ostentatio
ne cognoscitur. que quieta prius magna putabatur. Humerum
mens discooperit. quando opus suum quod ignorabatur ostendit.
Crura reuelat. quia quibus desideriorum passibus lucris mundi in
hiet manifestat. Flumina transit et iam. quia actiones huius seculi
que cottidie ad terminum defluunt indesinenter appetit.
dumque alias relinquit. alias assequitur. quasi semper de flumine
ad flumen tendit. Hec paucis per excessum diximus. ut mens

.v. m.